

Johann Bremer


Dissertatio Iuridica Inauguralis De Iureiurando Vi Et Metu Extorto

Basileae: Bertschius, 1683

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn749383615>

Druck Freier  Zugang





V. N. 2 (155.)

1. Boucquoy, de renunciatione invalida.
2. Cludius, de tutelis.
3. Cludius, processus iudicarii suscipiendi delincentis.
4. Gerhard, de solemnitatibus testamentariis.
5. Lotichius, de foro competente, tam communi quam privilegiato.
6. Lotichius, de jure primogenituræ seu de primogeniis illustri-
um imperii.
7. Neublbaum, de collationibus bonorum.
8. Neublbaum, de traditione seu modo acquirendi naturali.
9. Rinovius, de fideicommissis familiaribus.
10. Stuerzinger, de statutis et eorum interpretatione.
11. Wiegand, societatis, quæ est inter virum et uxorem respectu
conjugalis acquiritus.
12. Lincq, de sequestratione, placidæ creditorum cæsuræ,
in themistocis Actorum.
13. Lincq, de panibus civilibus.
14. Carnach, de differentiis juris rom. et germ. in heredis insti-
tutione voluntaria.
15. Müller, de veritate celata.
16. Bornemann, de negotiis gestis.
17. Engelbrecht, de jure absentia.

18. Antrenius, arbor consanguinitatis et affinitatis
tam respectu matrimonii, quam successoris.
19. Arumaeus, selectarum juris appoime controversarum quaestio-
num ΗΜΙΕΚΑΣΤΙΑ.
20. Arumaeus, de ΠΡΩΤΟΠΡΑΞΙΑΣ, iure et privilegio pluri-
um creditorum colligis exactioibus.
21. Arumaeus, de iure tutelarum.
22. Arumaeus, ad l. 2. C. de reficend. vendit.
23. Arumaeus, de iure emphyteutico.
24. Braun, de poena conventionali maxime in matri-
monialibus.
25. Bremer, de iurjurando, vi et metu exortu.
26. a Breugel, de represso aliis.
27. Althart, de libello.
28. Albert, de termino animationis foetus humani, rannu del
Rind in Müllerscheibn die Parla ausgeführt.
29. Alherti, de pulmonum subfidentium experimenti prou-
denti applicatione
30. Albinus, de iure dotium.
31. Albinus, de emtione vendit.
32. Albinus, de p. p. restitutionibus.

DISSERTATIO JURIDICA
INAUGURALIS

DE

25
IUREIURANDO
VI ET METU
EXTORTO.

Quam

Sub Divini Numinis præsidio

DECRETO ET AUTHORITY

*Magnifici, Amplissimi & Nobilissimi
Ordinis Jctorum*

In perantiqua hac & celeberrima

RAURACORUM ACADEMIA:

Pro

Summis in Utroque Jure Honoribus, Privilegiis
ac dignitatibus DOCTORALIBUS, ritè
legitimeque consequendis,

Amica Eruditorum disquisitioni submittit.

JOHANNES BREMER,
Hamburgensis.

Die XX, Aprilis An. C. M. DC. LXXXIII.

Horis locoque consuetis.



BASILEÆ, Typis JACOBI BERTSCHI.



VI O. D. B. MELI
P. R. E. C. O. L. O. M.

DEO
PATRIÆ
ET
AMICIS.



Faint, illegible text visible through the paper, likely bleed-through from the reverse side of the page.

BASILEÆ, Xp̄i MDCI. LXXII.



Q. D. B. V.

PRÆLOQUIUM.



Um nulla res vehementius societatem generis humani contineat quam fides, quæ dictorum conventionumque constantiam & veritatem tuetur: Varias autem artes illam eludendi fallendique levitas hominum atque malitia excogitare consueverit: inveniendum erat remedium, quo communi hominum salutem melius prospiceretur, quodque promissorum fidem, quam fieri posset arctissime, constringeret; eam in rem communi quodam gentium consensu, seu naturæ potius instinctu, statim post depravationem generis humani, divini Numinis metus etiam jurisjurandi religionem introduxit, ut, quantumvis fides hominum in aliis vacillet, quod affirmatè Deoque teste promiseris, id tenendum esse nemo non existimet, ut *Cicero* censet; *3. de offic.* perjuriam namque Deum ultorem habere, cum *Alexandro Imp.* in *l. 2. C. de reb. cred.* & remotissima credidit antiquitas, nec tempora hæc nostra, quamvis in omne genus impietatis prona, diffiteri audent. Ejus rei testis est vetustissimus Poëtarum *Hesiodus*, qui *lib. 1. oper.* hunc in sensum canit,

Clades mortalibus unde
Adveniunt, quoties fallaci pectore jurant.

Apud Græcos certè ὅρκους Deos, Deos, per quos jurandum concipi solebat, fefellisse, summum scelus fuit habitum.

Unde Dion. Halicarn. ultima fides inquit, inter homines tam Græcos, quàm Barbaros, quam nulla delebit ætas, est ea, quæ per jurata pæcta sponsores adhibet Deos. Romani verò, qui morum probitate vitæque honestate populos omnes anteire volebant, jam inde ab origine Reipublicæ nihil habuerunt antiquius, quàm fidem, cum Deorum obtestatione datam, servare. Sic enim Cicero 3. de offic. nullum vinculum ad adstringendam fidem jurejurando majores arctius esse voluerunt. Unde ejus etiam in Jure nostro tanta vis est & auctoritas, ut in causis dubiis ad id tanquam tutissimum præsidium, *τελευταίαν κατάφυγὴν*, Nov. 73 c. 4. & maximum remedium expediendarum litium. l. i. de jurej. sive, ut Paulus Apostolus ad Hebr. 6 16. loquitur, *πίστεως ἀντιλόγιας πύλας*, omnis controversiæ finem, recurratur. Postquam enim quis delatum ab adversario vel judice jurejurandum præstitit, non amplius quæritur an debeat id de quo contenditur, sed tantum an juratum sit: satis enim probatum jurejurando censetur, l. 5. §. 2. de jurej. §. ii. Instit. de action. Sed cum perquam multa de vi atque effectu jurisjurandi à Jurisperitis disputentur: tum verò illud magna contentione ac dissentione non à JurisConsultis modò, verùm & à Theologis atque Philosophis, disceptari solet: *Quenam vis sit jurisjurandi, in quod quis vi & metu est adactus?* Quæ quæstio cum per jucundam atque utilissimam disquisitionem habeat, sed & magna cum difficultate conjuncta sit; eam paucis his paginis pertractare animus est: ita tamen,

tamen, ut scrinia magis Juris nostri excutienda, quàm Theologorum ea de re sententias operosè conquirendas, existimem. Ne verò jejuni nimis ad tractationem hanc accedamus, utque controversiæ nostræ statum accuratiùs planiusve intelligamus, operæ pretium est de natura jurisjurandi in genere, deque effectu eorum, quæ metu gesta sunt, pauca præmittere.

THE S I S I.

Jusjurandum non incommodè ab *Aristotele in Rhetoricis c. 18.* pr. definitur *φάσις ἀναπόδευκτος & μετὰ θείας προεργασίας*, *Sententia probationis expers prolata cum obtestatione divina.* Quæ definitio quamvis in ea potissimùm jurisjurandi genera quadrare videatur, quæ in supplementum probationis causæ dubiæ decidendæ ergò deferuntur, non incongruè tamen & aliis accommodari potest. Etenim si usum ac finem jurisjurandi respiciamus, tria potissimùm illius genera deprehendemus, ut rectè *Baldus* monet *sup. rubr. X. de jurej. Jusjurandum sc. enunciativum, confirmativum, & litis decisivum.*

Enunciativum, quod alii assertorium nominant, jusjurandum vocamus, quo dictis nostris fidem conciliare conamur, dum sanctè Deoque teste affirmamus, verum esse & ex animi nostri sententia dictum quod protulimus: atque hoc cum Doctoribus iterum distingui potest in jusjurandum *credulitatis & veritatis*: illud præstant, qui tametsi certi non sint, tamen rem ita se habere persuasum habent: *Hoc*, qui plane certam & indubiam rerum gestarum notitiam se habere profitentur. *Confirmativum* jusjurandum est, aliis promissorium dictum, quod promissis, conventionibus atque contractibus confirmandis adhibetur, & obligationem ex iis ortam auget magisque constringit: Quò pertinet si quis aliquid daturum se facturumve juratus promittat: quod promissum Jure Civili nullam obligationem producere, Doctores rectè docuerunt. *in l. si quis pro eo § 6. de fidei: Bart. in l. ut jurisjurandi 7. princ. de oper. liber. Jason in Auth. sacramenta n. 7. C. si advers. vend. Utunque eos idèd impietatis accuset Wesenb. in parat. de jurejur. n. 5. Hoc nempe cum promissione simplici, vel pacto Jure Ci-*

vili non obligatorio, Jusjurandum est adjectum. Nam quin ex contractu Jurisjurandi religione firmato nascatur actio dubium nullum est *l. si quis major 41. C. de transact. l. 1. C. si adversus vend. cum Auth. seq.* Idem dicendum de pactis legitimis, quale hodie est pactum seu promissio de donando, ex hac namque promissione, quamvis jurejurando firmata non sit, hodie actionem dari, conditionem nimirum ex lege, *si quis argentum 35. C. de donat.* manifestum est *S. 2. I. de donat.* Ceterum ad confirmativum Jus jurandum etiam referendum illud, quo subjecti fidem ac obedientiam Superioribus, Magistratui puta vel Principi, pollicentur: & quo Vasallus Domino fidelitatem addicit: & contra quo Magistratus Reipublicæ, vel Princeps Imperio propriisque subditis, inter solennia consecrationis, promittunt se more majorum & ex legum præscripto ad communem Civium salutem & ex legem esse gesturos. Denique *litis decisivum* jusjurandum est, quod ob defectum probationis litis decidendæ causâ præstat. De hoc præcipue Juris auctores & interpretes, cum ejus in dirimendis controversiis maximus sit usus, agere solent; qui rursus id in tres species dispescunt, in voluntarium, judiciale, & necessarium. Nostra verò tractatio ad secundum genus jurisjurandi maximè pertinet, quo promissorum atque contractuum placita confirmamus arctiusque constringimus.

THESIS II.

Videamus jam generatim, quisnam in jure sit effectus eorum, quæ vi & metu gesta sunt. Differunt equidem accurate loquendo vis & metus, cum illa sit majoris rei imperus, qui repelli non potest *l. 2. quod metus caus.* Veluti si cui per violentiam, cui resistere nequit, aliquid eripiatur. Metus autem tantum est futuri alicujus mali expectatio, juxta *Aristot. 3. Eth. 4.* vel, ut describit *Ulpian. in l. 1. quod metus causa.* Trepidatio mentis futuri vel instantis periculi causa. Jam si cui per vim quid extorquetur, principium actionis non in eo est, qui vim patitur, sed foras & aliunde venit; secus est cum quis metu ad agendum aliquid inducitur, quo casu principium actionis est in eo ipso, qui metum patitur, utpote qui consulto & sponde ad agendum impellitur majoris mali evitandæ causâ: quan-

sā: quanquam omni ex parte libera ejus actio dici non possit.
Hoc itaque sensu verum est, quod dicitur coactā voluntatem
esse voluntatem *Aristot. d. l.* & rigore juris obligare *l. si mulier 21.*
S. si metu 5. quod met. ca. Glos. in l. velle 4. de R. I. Licet autem dicto
modo Philosophi vim à metu distinguant; **J**Csulti tamen, qui
brevitati studere *l. amplioem 39. S. I. C. de appell.* & populariter
loqui amant, cū de actione coacta quæritur, sub verbo me-
tus etiam vim comprehendunt: Quandoquidem quod vi a-
troci fit, metu quoque fieri videtur *l. 1. quod met. ca.* cū utro-
que modo voluntatis libertas impediatur: is igitur qui vi
metuve coactus aliquid gessit, jure civili obligatur, quia, licet
non planè liberum, consensum tamen & voluntatem suam
interposuit, dum ex duobus malis imminentibus, quod mi-
nimum est, elegit, secutus illud tritum: *minima de malis. Cic.*
3. de offic. Hæc causa est quod contractus metu initus jure ci-
vili, ob adhibitum consensum, valeat, & antiquitus efficaci-
ter obligaret, quod cū satis iniquum videretur, Prætor hac
in parte defectum Juris Civilis supplendum & vi metuve
circumventis subveniendum censuit per restitutionem in in-
tegrum, secundum verba hæc edicti: **QUOD METUS**
CAUSA GESTUM ERIT RATUM NON HABEBO
l. 1. quod metus causa. Non tamen omnis metus hoc edicto coër-
ceretur, sed succurrit iis solūm qui justo metu, nullo jure il-
lato, aliquid gesserunt. Vanus enim & non justus metus ne
pro metu quidem habendus est: Quò spectat illud, vani ri-
moris nullam esse excusationem, *l. si quis ab alio 13. in princ. de*
re jud. l. 184. de reg. jur. Justus autem metus quis dicendus sit,
quæritur, ad quod *Cajus respondet in l. metum 6. quod met. ca.*
metum non vani hominis, sed eum qui meritò in hominem
constantissimum cadere solet. Verūm hæc responsio non exi-
mit dubitationem, cū non magis certum sit, quisnam sit
metus, qui etiam in virum constantem cadat. Id autem ex
genere mali, & periculi imminentis, est æstimandum. Ideo
metus, ad hoc edictum pertinens propiùs aliquando definitur
ab *Ulpiano in l. 5. eod.* timor majoris mali. Sed expressiùs &
distinctiùs explicandum est, quidnam majoris mali nomine
veniat, ut edicto locus sit; huc verò potissimūm duæ res per-
tinent,

eiuent, mors, seu periculum vitæ, & cruciatus corporis: quæ & rescriptorum quorundam definitione comprehensa sunt, l. si per vim 4. l. si donationis 7. C. de his quæ vi met. ca. gest. sunt l. interpositas 13. C. de transact. De mortis metu venuste Martialis.

Quod si me tonsor cum stricta novacula supra est,

Tunc libertatem divitiarum, roget:

Promittam. Nec enim rogat illo tempore tonsor,

Latro rogat. Res est imperiosa timor.

Sed fuerit curva cum tuta novacula theca,

Frangam tonsoris crura manusque simul.

Per Cruciatum autem intelligimus non solum tormenta, verum etiam verbera & vincula & carcerem: Etenim & horum iustum esse metum & Prætoris auxilio dignum, diserte traditum est l. 2. in fin. l. nec timorem 7. S. 1. l. pen. & ult. quod met. ca. Nec ad hæc solum edictum pertinet, monet enim Paulus in l. 4. eod. etiam servitutis timorem & similitum esse admirandum. De servitute quidem dubitandum non est, cum mori comparatur. l. servitutem 209. de R. J. similis autem est servituti deportatio, utpote quæ hominem pariter civium numero eximit. S. 1. Inst. quib. mod. jus pat. pot. toll. quod etiam stupri timor referendus, cum bonis iste metus major quam mortis esse debeat, l. isti quidem 8. S. 2. quod met. ca. Quibus omnibus addendum est ex d. l. 8. in fin. iustum harum rerum metum esse non solum si quis ea in se veritus sit, sed etiam si in liberis suis: cum pro affectu parentes magis in liberis timeant. Qua ratione idem recipiendum putamus, si hæc in parentibus metuunt liberi, in marito uxor, vel in uxore maritus. Patet igitur ex iis quæ dicta sunt, metum quem vocant reverentialem, puta si liberi, liberti, uxores, similesque personæ, quæ reverentiam aliis debent ejus intuitu quid egerint, quod alias non egissent, Prætoris auxilium non mereri. arg. l. ad invidiam. 6. C. de his quæ vi metusve causa. l. si patre cogente 22. de rit. nupt. cum metus hic tantum ex facti atrocitate æstimeretur l. metum 9. C. eod. unde & præsens sit oportet, nec in suspitione solum & vanis jactationibus consistat. d. l. 9. C. l. metum 9. ff. eod. De timore infamiæ, an iustus sit hujus metus non

non eadem est omnibus opinio. Sunt qui distinguunt inter infamiam realem & verbalem: & illam putant edicto contineri, non etiam istam. *Wesenbec. in parat. tit. quod met. ca. n. 3.* alii distinguendum censent inter infamiam realem & levem. *Farinac. fragment. crimin. tit. M. n. 91. Sanchez de matrim. lib. 4. disp. 5. n. 13. & seqq.* Alii inter infamiam juris & facti. *Gl. in l. 7. quod met. ca. Oldend. class. 6. art. 10.* At nos simpliciter negamus merum infamiae hoc edicto comprehendi, quod disertis verbis docet *Ulpianus in dicta l. nec timorem 7. quod met. ca.* non quod hic metus non sit justus, quem omnino justissimum esse putamus, & vinculorum etiam ac carceris metu justiore, cum bona existimatione nihil viris bonis debeat esse pretiosius: sed quia vanus est hic infamiae timor; quippe quae ab alio nobis inferri non potest. Etenim infamiam cuiusque facta sua non aliena conciliant: Neque famam nostram aut pudorem aliorum convitia, machinationes & calumniae possunt onerare: ut patet ex edicto Praetoris, de iis, qui notantur infamia *l. 1. de his qui notant. infam.* quod si quis contra putet, & ob id metuat, hunc metum sibi fingit errore juris, non ab alio illarum suscipit. Ex quibus efficitur vanum esse hunc metum, utpote ex tali re, quae metui non debuit.

De metu fortunarum. si earum jactura metuatur, an justus sit dicendus, non minus acriter contendunt inter se prudentes, ut docet *Menoch. de Arbitr. quest. lib. 2. c. 135. n. 9. Mascard. de probat. l. 2. concl. 1051. n. 54. Cardinal. Tusch. pract. concl. verb. meus concl. 215. n. 5. & concl. 217. n. 8. & 9. & fuse Sanchez de matrim. lib. 4. disp. 5. n. 20. & seqq.* Qui ferme omnes in hoc consentiunt, justum metum recte dici, cum timeatur jactura bonorum aut omnium aut majoris partis *c. cum dilectus. & c. 2. X. de his quae vi metusve ca. l. advocati. 14. & ibi Gl. in verb. vitam. C. de Advoc. div. judiciorum l. propter litem 21. in princ. de excus. tut.* Bona namque & opes vita hominum & alter spiritus esse creduntur, ut loquitur *Gl. in d. l. Advocati 14. verb. vitam.* Quod spectat illud *Hesiodi,*

κρηματα ἢ ψυχὴ πέλεται δειλοῖσι βράτοισι.

Pecunia anima est miseris mortalibus.

Coeterum ex eo quod dictum est justum metum eum vocari qui

B

qui

qui cadit in virum constantem, rectè colligunt Doctores, li-
mitandum id esse in mulieribus, in quibus etiam levior me-
tus justus est & edicto locum facit ob sexus imbecillitatem
& timiditatem *c. cum locum, ibique Gl. de Sponsal. Iason & DD. in l.*
interposit. 14. C. de transact. Dec. in l. in omnibus causis. 68. n. 3. ff. de
R. J. Et in c. 1. n. 16. de offic. de leg. Tiraq. de legibus connub. Gl. pag. 9.
n. 166. & pluribus Sanchez de matrim. l. 4. d. p. 3. n. 2. Sic & in pu-
eris & adolescentulis ob ætatis fragilitatem & infirmitatem
l. 1. de minor. leviozem metum sufficere ad impetrandam resti-
tutionem rectè consulunt, Socin. conf. 97. lib. 3. Menoch. de ar-
bitr. quest. lib. 2. c. 135. part. 2. n. 5. Itaque etiam levis metus
aliquando ex benigna edicti interpretatione restitutioni lo-
cum faciet: id quod ex personæ cujusque qualitate & rerum
circumstantiis erit æstimandum.

Patet igitur ex dictis ea quæ metu gesta sunt stricto qui-
dem jure valere, sed ex æquitate rescindi: quod jure civili du-
bium nullum habet, ut constat *ex tot. tit. ff. & C. de his quæ vi*
metusve ca. imprimis ex l. si mulier 21. §. 5. eod. & l. si metus causa 87.
de acquirend. hered. princ. Inst. de except. Sed an idem de jure na-
turali dicendum sit, non convenit inter omnes. Ego illorum
sententiam veriozem puto, qui statuunt, eum qui metu in-
ductus aliquid gessit vel promisit, etiam natura obligari, cum
ex consensu naturalis obligatio nascatur *l. 1. de pact. in con-*
sensu autem metu extorto, verus est consensus & vera volun-
tas d. l. si mulier vi. §. 5. quod met. ca. Sicut enim is qui naufr-
gii metu res suas jactat, mallet eas servare, si naufragium non
immineret: jam verò spectata temporis ac loci circumstantia
eas omnino & sponte sua perdere cupit, ut vitam servet: Sic
& qui metu coactus contrahit vel aliquid promittit, ut ma-
jus malum evitet, volens prudensque id facit, & cum electio-
ne quadam, non omnino invitus; cum eum ad promitten-
dum nemo cogere possit, & ei liberum sit vel periculum
quod metuit subire, vel promissione facta se periculi metu li-
berare: quamvis si planè liber esset, aliter acturus fuisset, ut
præclare docet *Aristot. lib. 3. Ethic. Nicom. cap. 6. Sed illud non*
minùs naturalis æquitas suadet, ut id quod per metum ex-
tortum vel promissum est restituatur, utque is qui metum in-
tulit

tulit ad liberandum promissorem compellatur; non quòd
invalida sit illa promissio, sed quia damnum injuria datum,
est resarciendum, & restituendus is, cui est illatum, ut rectè
Grotius sentit, *de jur. bell. & pac. lib. 2. cap. 11. §. 7.* Non eadem
est ratio eorum, quæ vi sunt extorta: iis namque cum nullus
animi consensus, sed externa solùm violentia, cui resisti non
potuit, causam præbuerit, sunt ipso jure nulla; adeoque re-
sissione non indigent. *Hahn. ad Wesenbec. d. l. quod met. c. n. 5.*

THESIS III.

Aggrediamur jam ipsam quæstionis nostræ tractatio-
nem, & dispiciamus de jurejurando metu extorto, an ejus
aliqua & qualis sit obligatio? Duas verò præcipuè distin-
ctas & inter se pugnantes hac de re sententias Doctorum no-
strorum esse animadverto, quas si ordine recensuero & exa-
minavero, tum meum de utraq; judicium subjunxero, com-
modissimè proposito meo defunctus, & satisfacisse lectorum
expectationi mihi videbor. Prima occurrit eorum senten-
tia, qui existimant jusjurandum metu præstitum nullius esse
momenti, adeoque actum sive conventionem, cujus confir-
mandi causa interpenitur, reddere nullum: quibus conse-
quens est, opus non esse, ut absolutionem à tali jurejurando
impetremus, *Tho. Grammat. cons. 91. n. 4. Gratus resp. 71. num. 1.*
Constat enim inter omnes, jusjurandum, si consensu desti-
tuatur, nihil operari. *l. ult. C. de non num. pec. Menoch. cons. 84.*
*n. 24. & 33. Cessaur. Decis. Pedem. 222. n. 4. & carens consensu spi-
ritu carere dicitur, Roland à Valle cons. 13. n. 30. lib. 1. & cons. 47. n.*
17. vol. 4. at verò consensui nihil tam contrarium est, quam
vis & metus, quem comprobare contra bonos mores est. *l. ni-
hil 116. de R. I. & licet coacta voluntas voluntas esse dicatur,*
ut th. præc. docui, improprie tamen ita vocari, remissamq;
*non integram ac liberam voluntatem esse, qualem in contra-
ctibus & jurejurando requiri volunt, unde nec hoc animam*
obligare posse, nisi liberum planè sit & voluntarium, respon-
dere Menoch. cons. 37. n. 45. lib. 1. Natta cons. 426. n. 24. Unde tra-
ditum ab Ieremia Propheta c. 4. & inde repetitum in c. cisi Christus
26. de jurejur. jusjurandum ut valeat, tres debere habere comi-
tes, veritatem, judicium & justitiam. Itaque nihil causæ est

cur hic perjurii vindicem quis metuat Deum: cum huic, qui
intimos animi sensus potius quam externum labiorum lin-
guæve motum respicere soleat, jusjurandum metu extortum
non magis probari possit, quam coacta & imperata religio,
in qua si animus adversus est, jam sublata, jam nulla est, *La-*
Etant. lib. 5. Instit. aut preces in labiis natæ non ex corde pro-
fectæ *Esai 29. 13. Matth. 15. 8.* unde ortum apud Germanos pi-
um illud tritumque vetustate proverbium: *Gezwungener*
Eyd ist Gott leyd. Et scitè hanc in rem *Euripides in Hippolyto:*
ἢ γλώσσῃ ὁμώμοχ' ἢ δὲ φρενὶ ἀνώμοτος; quam sententiam eti-
am laudat *Cicero 3. de Offic.* eamque ita reddit, *juravi lingua, men-*
tem injuratam gero; quo loco pluribus idem docet, quod ita ju-
ratum est, ut mens deferentis conciperet fieri oportere, id ser-
vandum esse: quod aliter, id si non feceris nullum perjurium
esse. Non enim, ait, *falsum jurare pejerare est, sed quod ex animi tui*
sententia jaraveris, sicut verbis concipitur more nostro, id non facere, per-
jurium est. Erat enim hæc consueta jurisjurandi apud Roma-
nos formula: *Ex animi mei sententia juro,* ut præter hunc *Cicero-*
nis locum & lib. 4. Academ. in fin. testis est Liv. lib. 22. Agell. 4.
noct. Attic. cap. ult. Quintil. lib. 5. c. 11. Festus V. præjurationes. Ad quam
formulam respicit haud dubiè *Justinianus in l. 2. §. quod observari*
2. C. de jurejur. propter cal. ubi scitè pro eo, quod est in vulgatis
codicibus, ex animi sui scientia, *Cujacius* reponendum censeat,
ex animi sui sententia *lib. 1. obs. 21.* Quibus verbis utique non
fraude solum & dolo, sed & metu, qui assensum impedit, va-
cuam jurantis animum esse debere, *Veteres* voluerunt. Hujus
opinionis insuperfundamentum immortum dicunt esse decan-
tatam illam *Authent. Sacramenta puerum. C. si adv. vendit.* cujus
auctor *Fridericus II. Imp. & tam Codici Justinianæo* propter
insignem ejus æquitatem, quàm *Feudorum lib. 2. tit. 53. in fin.*
inserta reperitur, quam, quoniam ad propositæ nobis maxe-
riæ explanationem apprimè pertinet, huc transcribere non pi-
gebit. *Sacramenta puerum sponte facta super contractibus rerum su-*
arum non retractandis inviolabiliter custodiantur. Per vim autem, vel
per justum metum extorta, etiam à majoribus (maximè ne querimoniam
maleficiorum commissorum faciant) nullius esse momenti jubemus. Ex
quibus patet *Fridericum Imp. indistinctè* reprobare jusjuran-
dum

idum metu expressum, illudque velle nullius esse momenti; qualia quæ sunt rescissione non indigent, cum ipso jure nulla sint, ut docet *l. si quis Sempronium* 68. *de hered. insti. l. de pupillo* §. 5. *si quis forte* 4. *ibique Iason. n. 3. & 4. de oper. nov. nunc. Tirag. ad l. si unquam* 8. *C. de revoc. donat. verb. revertatur. n. 97. & 101.* Accedit quòd ipse metus efficere videatur, ut promissio etiam jurata sit contra bonos mores *d. l. nihil consensui* 116. *de Reg. Jur. tale verò jusjurandum non esse obligatorium, & sana ratio præcipit, & pro trita Juris regula confirmat, in c. non est obligatorium.* §8. *de reg. Juris in 6.* Hanc sententiam etiam Juris Canonici auctoritate muniunt, censent enim Pontifices *in c. cum contingat* 28. *X. de jurejur. c. quamvis* 2. *de pact. in 6. & c. 2. de jurejur. in 6.* renunciationem legitimæ & alienationem fundi dotalis, quas remoto jurejurando irritas esse constat, jurejurando accedente, esse servandas, modò hoc præstitum fuerit sine vi & dolo; unde colligitur, jurijurando, metu extorto, nullam omnino vim inesse nec indigere relaxatione, ita tenent, *Abbas d. c. cum contingat de jurejur. n. 3. & ibi Alciat. num. 8. Petr. Gregorius Syntagm. jur. p. 3. l. 5. c. 12. n. 4. & alii relati à Sanchez de matrim. lib. 4. disp. 20. n. 3.* atque hoc præcipuè locum habere in jurata promissione matrimonii, utpote quæ liberiores consensum requirit, censent *Ioach. à Beust de matrim. part. 2. cap. 44. Carpz. l. 3. Jurispr. confist. desin. 55.*

Hæc ex mente eorum, qui coactum jusjurandum nullam planè vim obligandi habere, adeòque ne restitutionis quidem beneficio indigere contendunt: quibus tamen accedere non possum, ob rationes in progressu hujus disputationis producendas.

THESIS IV.

Secunda sententia de proposita nobis quæstione priori, quam modò retulimus, contraria est. Statuunt enim quamplurimi civilis & plerique Pontificii juris Doctores, jusjurandum utrumque metu extortum, non esse ipso Jure invalidum, sed jurantem eousque obligare, donec ejus vinculum absolutione rescissum fuerit & remissum. Ad hanc sententiam stabiliendam afferunt illam ipsam rationem, qua Pontifices moventur in *d. c. cum contingat* 28. *X. de jurejur. & d. c. quamvis*

quamvis. 2. de pact. in 6. in quibus ideo jusjurandum in alienatione fundi dotalis & contractibus minorum aliàs invalidis servandum esse decernitur: quia his casibus sine dispendio salutis aeternae servari potest. Atqui, inquirunt, eadem hæc ratio militat, sive jusjurandum sponte, sive metu fuerit præstitum: utroque enim casu ejus obligatio nullam culpam inducit, servandum igitur est. Neque enim metus, licet gravissimus, jurisjurandi religionem & obligationem inde ortam tollere potest, ut disertis verbis docetur *cap. si verò. 8. X. de jurejur.* ubi respondetur, non esse tutum quemlibet contra juramentum suum venire, nisi tale sit, quod servatum vergat in interitum salutis aeternae. Deinde subjungitur, solere à tali jurejurando absolutionem impetrare eos, qui metu id præstare compulsi sunt. Et fortiùs etiam hujus jurisjurandi vinculum constringit *c. verum is. X. de jurejur.* quod equidem statuit sacramenti nexibus esse solvendos, qui id inviti pro vita rebusque suis servandis fecerunt: sed ut agatur consultiùs & perjuriis via concludatur, non ita expresse dicendum esse, ut juramenta non servent: sed si ea non attenderint, non ob hoc esse tanquam pro mortali crimine puniendos. Quibus ex locis patet, jusjurandum metu expressum obligandi vim habere, qua si destitueretur, absolutione opus non esset. Sed omiſſa Juris Canonici auctoritate, facit huc ea præcipuè ratio, quòd in omni jurejurando non homini solum, sed & Deo, obligatio acquiritur, cui ea omnino solvenda est, quòd pertinet *cap. debitores. 6. de jurejur.* nec interest sive id sponte sive metu sit præstitum, ut in sequentibus uberiùs demonstrabitur. His potissimum rationibus nituntur, qui jusjurandum metu extortum indistinctè servandum censent, donec ejus vinculum ab illo, qui ejus rei potestatem habet, fuerit relaxatum, hancque esse communem Doctorum sententiam prolatis testimoniis docet Covarr. in epit. de Sponsal. part. 2. c. 3. §. 5. n. 2. Seraphinus de privil. juram. privil. 110. n. 8. Sanchez de matrim. lib. 4. disp. 20. n. 4. de qua quid statuendum sit, proxima thesis docebit.

THESIS V.

Ut nostro promisso stemus, utraque modo proposita nobis & testimoniis ac rationibus suffulta sententia, quarum quidem altera alteri est contraria, ad examen revocanda, & quid

quid de iis censeamus, aperiendum est. Ubi ante omnia se-
parandam esse puto rationem Juris Civilis à Jure Canonico &
gentium, quod & mores nostri sequuntur. Illo namque Jure
cum Jusjurandum simplex, nisi contractui, vel pacto legi-
timo sit appositum, nullam vim obligandi habeat, ut supra
traditum est, multò minus simplex Jusjurandum obligare
poterit. Jure verò Canonico & gentium cum quævis seu pro-
missio seu pactum obligationem inducat. *cap. 1. & 3. X. de pact.*
II. ff. eod. quod etiam hodiernis moribus observatur: cum-
que etiam Jure Civili Jusjurandum contractibus & pactis le-
gitimis adjectum inviolabiliter sit custodiendum: omnino
negandum est Jurisjurandi metu extorti nullam planè vim
nullamque obligationem esse, ideoque nec relaxatione in-
digere: cum metu qualicunque assensum omnem & volun-
tatem non inhiberi constet, ut superius expositum est. Volun-
tas autem & animi judicium, etiam si non omni sit ex parte
libera, sufficit tamen hodie ad obligationem Jurejurando in-
ducendam. Nec obstant ea quæ pro confirmanda contraria
opinionem ex civili pontificioque Jure sunt adducta: ad quæ
in genere responderi potest, ea sic esse intelligenda, ut pro-
bent jusjurandum effectu non obligare, si vi vel metu sit ex-
tortum, quoniam jurans absolutionem ab illo potest impe-
trare: sed ea priusquam concessa sit, jurantem ad promissi
observantiam adstringi. Nihil enim aliud volunt *d. cap. quam-
vis de pact. in 6. & c. cum contingat. de jurejur.* quàm contractum
minorum, & alienationem fundi dotalis, quæ Jus Civile im-
probat, jurejurando confirmari, ut ne quidem relaxationi lo-
cus sit: quod si verò jusjurandum illud metu fuerit expres-
sum, actus illos non ita confirmari, quin obrepta jurisjuran-
di remissione possint revocari, & qui læsus est in integrum
restitui. Idem responderi potest ad *auth. Sacramenta C. si adver-
vend.* ut de effectu jurisjurandi propter restitutionem invali-
di sit intelligenda, sicut illud Prætoris edictum, *Quod metus
causa gestum erit, ratum non habebit l. 1. quod met. ca.* vel si proprie-
tati verborum inherere cum aliis placeat, dicendum au-
thenticam illam hac ex parte jure canonico esse correctam.
ed. t. verum & c. si vero de jurejur. in materia verò jurisjurandi
hoc

hoc jus sequendum esse, *c. 2. d. jurejur. in 6.* vel loqui Jus Civile de foro externo, seu obligatione homini quaesita, non de foro interno, & obligatione per jusjurandum Deo acquisita. *Fortunius de ult. sine, illat. 22. n. 463. & seq.* Illud facile largior, quod & communiter Juris interpretes tradere solent, in eo discrepare Jus Civile à Canonico, quòd illo quicquid legibus, etiam merè civilibus, contrarium est, jurejurando confirmari non possit. Illo namque jure nullum pactum, nullus contractus, etiam si jurisjurandi religio accesserit, inter eos celebratus videtur, qui contra legis prohibitionem contraxerunt. *l. non dubium 5. C. de Legibus. Sic & Severus & Antoninus Caracalla rescripserunt, jusjurandum contra vim legum & auctoritatem juris in testamento scriptum nullius esse momenti. l. si quis inquilinos 112. S. ult. de leg. 1. & pactum à jure communi remotum, etiam si quis jurejurando in id adactus sit, servandum non esse, scribit Ulpianus in l. juris gentium 7. S. & generaliter 16. de pact.* Quibus addi debet *auth. Sacramenta C. si adv. vendit.* Ex quibus locis elicunt Juris interpretes, Jusjurandum vi metuve extortum Jure civili jurantem omnino non obligare, utpote contra juris legumque rationem praestitum, sed esse ipso jure nullum, quare neque necessarium esse ut quis eo solvatur, sed posse jurantem ei sine perjurii metu, etiam nulla impetrata absolute, contravenire. *Alciat. in cap. cum contingat. n. 74. & seq. de jurejur. Mancin. tract. de juram. part. 6. quest. 9. n. 2. Cardin. Tusch. pract. concl. verbo absolutio n. 35. & hanc sententiam in foro seculari esse receptam, testatur Covarr. lib. 1. var. cap. 4. n. 7. Matth. de afflictis decis. Neapol. 263.* Sed diversa est ratio Juris Canonici, utpote quod pacta & conventiones juratas, utcumque contra prohibitionem Juris Civilis initae sint, ratas esse jubet; itaque hoc jure alienationes dotium, & pacta de succedendo, jurisjurandi religione firmata, sustinentur. *d. c. cum contingat 28. & c. licet 2. de jurejur. c. quamvis 2. de pact. in 6.* quae tamen Jus civile improbare constat *S. I. Inst. quib. alien. lic. l. si quando 35. S. I. C. de inoff. test. l. ult. C. de pact.* Coeterum omittendum non est, quod & supra monui, Pontifices in *d. c. cum contingat. & c. quamvis.* disertè voluisse, jusjurandum tum demum vires addere contractibus Jure civili prohibitis, si sponte sine vi & metu praestitum

præstitum fuerit: Sin minus, obligationem quidem aliquam inducere, sed jam non ad eam validam, quin perita jurisjurandi relaxatione possit ac debeat rescindi. *cap. si verò. 8. de jurejur. & hanc dispositionem Juris Canonici, de impetranda jurisjurandi remissione tutiorem esse, utpote quæ periculo animarum consulat, & eximat perjurii metum, post alios multos rectè censet Favinae. fragment. crimin. verb. juram. n. 1774. quibus accedit, quòd aliàs quivis, prætextu metus illati, contra jurisjurandi religionem venire posset, si sibi ipsi jus ita dicere, seque juratæ promissionis vinculo eximere liceret. Has ob causas jure quoque Saxonico cautum atque receptum, ne quis hujuscemodi obligatione priùs censeatur liberatus, antequam absolutionem à jurejurando impetraverit, teste Carpz. part. 2. Jurispr. for. const. 37. de fin. 3. ut infra clariùs patebit.*

THESIS VI.

Patet igitur tutiorem & æquiores esse illam sententiam, quæ relaxationem à jurejurando metu extorto postulandam censet, præ illa quæ contractum talem seu promissum juratum statuit esse ipso jure nullum. Contingit tamen interdum, ut jusjurandum extortum metu, relaxatione non indigeat, sed ipso jure non obliget: non quidem ideo quòd metus ei causam dederit, sed quia promissio vel contractus, cui firmando adjectum est, bonis moribus vel utilitati publicæ adversatur.

Quòd pertinet æquissima illa Juris Canon. regula, non esse obligatorium jusjurandum contra bonos mores. *cap. non est obligatorium § 8. de reg. jur. in 6. neque enim jusjurandum ideo est institutum, ut sit vinculum iniquitatis. c. quanto 18. de jurejur. & cap. 1. vers. quia verò. eod. tit. in 6. Cùm autem bonis moribus contrarium quid esse possit duobus modis, moribus nimirum vel naturalibus, vel civilibus; contra hos esse dicitur, quòd sua quidem naturâ peccatum non est, sed ideo tantum illicitum habetur, quia lex civilis id prohibet, & institutis Reip. contrariatur. Molina tom. 1. de just. tract. 2. disp. 151. in solut. ad argum. 1. servandum est hoc jusjurandum, nisi vergat in ipsius reip. vel tertii præjudicium: hinc enim valet, omne jusjurandum esse servandum, quòd sine dispendio salutis æternæ servari potest, nec in alterius*

aliterius præjudicium redundat. d. c. cum eomingat. 28. de jurejur. Aliud autem dicendum de eo quod moribus naturalibus, qui communiter in jure nostro boni mores dicuntur l. condiciones 9. & 14. & 15. de condit. insti. vel etiam legi divinæ adversatur, cujus promissio etiam jurata, nullam planè obligationem inducit. Nam ut præclare docet Papinianus in d. l. 15. de condit. insti. quæ facta lædunt pietatem, existimationem, verecundiam nostram, & ut generaliter dixerim, contra bonos mores sunt, nec facere nos posse credendum est. Jam verò impossibile nullam esse obligationem satis manifestum est, l. impossibile 185. de reg. jur. Huc igitur quadrat vulgatum illud: quod malè juratur, pejus præstat. Unde Justinianus scenicas, si juratæ promiserint se ab impia illa turpique vita nunquam recessuras, jurisjurandi illius religione non obstringi rescribit, & sine metu perjurii posse contra promissionem venire, quia hujusmodi transgressiones magis placent Deo, quam jurisjurandi observationes Nov. 51. in pr. Extat etiam elegans hanc in rem locus Philonis Judæi, quem adscribere non pigebit.

Ἴσῶ δὲ πᾶς ἐνωπιότος ἀδινὰ ἰεῶν. &c.

Sciat quisquis ob jusjurandum injusti aliquid molitur, non se jurisjurandi, quæ res est magna cura ac religione digna, & qua honesta ac recta confirmari solent, observantem, sed potius eversores fore. Addit enim culpam culpa, juramento non rectè factò, & quo abstinere satius fuerat, actum illegitimum. Quare ab injusta actione abstinens Deum veneretur, ut, quæ ipsi est maxime propria, misericordiam impertiat. Nam dupliciter eligere mala, cum parte altera exonerari possis, insanabilis est furor & membris perversitas. Hæc Philo. In eundem sensum plura eximia dicta è Conciliis & Patrum Ecclesiæ scriptis collegit Gratianus, quæ videri possunt can. 1. & seqq. caus. 22. q. 4. è quibus illud ex Ambrosii lib. de offic. 1. c. 50. Est etiam contra officium nunquam solvere promissum sacramentum custodire; ut Herodes qui juravit, quicquid petitus esset, dare filia Herodiadis, & necem Johannis præstitit, ne promissum negaret. Et illud Augustini in serm. de decoll. Joh. Bapt. ubi de jurejurando Davidis de Nabale cum ejus familia delendo; juravit, inquit, David temerè, sed non implevit jurationem majori pietate. Denique illud Isidori in Synonymis lib. 2. In malis promissis rescinde fidem: in turpi voto muta decretum; quod incautè voristi,

visti, ne facias, impia enim est promissio qua scelere adimpletur.
Quinimo etiam si res quæ promittitur, non sit illicita, sed ta-
men majus aliquod bonum morale impediatur, etiam sic nul-
lum erit jusjurandum, qua de re iterum audiendus Philo, cujus
hæc sunt verba: *Sunt quidam aded duro atq; insociabili ingenio sive*
odio humani generis, sive dura domina iracundia subacti, ut morum feri-
tatem jurejurando confirmant, ut ne hunc habeant mensæ aut lecti soci-
um, ne illi bene unquam faciant, ne quid ab eo ad mortem usq; accipiant.
Itaque ne hoc quidem jusjurandum valebit, quo quis morum
asperitatem confirmat, veluti ne quis unquam huic vel illi
benefaciat: etiam si promissum implere nullo jure prohibea-
tur. *Grotius de jure belli & pacis lib. 2. c. 13. S. 7.* Neque id solum
quod in bonos mores, verum etiam quod in utilitatem publi-
cam impingit, jusjurandum non obligat. Hinc est quod actus, in
favorem publicum principaliter prohibitus, jurejurando con-
firmari non possit. Cum enim nullius momenti sit jusjuran-
dum, quod redundat in præjudicium tertii *d. c. cum contingat.*
de jurejur. multo magis omni vi destituetur, quod vergit in
totius rei publicæ detrimentum, qua de re infra quoque plu-
ribus differendi locus erit; suo quippe favori, non autem
publico, quis renunciare potest. *l. juris gentium 7. S. si paciscar.*
14. de pact. cujus exemplum est in *c. si diligenti. de foro compet.* ubi
deciditur, irritum esse pactum juratum, quo fori privilegio
Clericus renunciat, eo quod id privilegium in totius Clerica-
lis ordinis favorem sit concessum, cui privatorum pacto de-
rogari non possit; sed aliud statuendum de illis actibus, in
quibus favor publicus minus principaliter & per consequen-
tiam solum læditur. Hinc enim cum publico non exurgat
magnum præjudicium, & renunciet is cujus principaliter
interest, ex jurejurando obligationem nasci rectè tradunt *Cor-*
neus ad auct. Sacramenta c. si adv. vend. n. 48. & ib. Paul. Cast. n. 8.
& 9. Covar. de pact. part. 2. S. 1. n. 1. & 5. Gomez 2. var. c. 14. n. 24. &
26. Ideo contractus minorum, & alienatio fundi dotalis,
aliàs à jure reprobata, jurejurando confirmantur *d. c. cum con-*
tingat. & c. 2. de jurej. in 6. Ut verò pateat, quando contractus
principaliter prohibeatur ob bonum publicum, quando ob
privatum, obiter notandum, quod, quamvis omnium legum

finis & scopus principalis sit bonum commune promovere, nihilominus quando de rebus privatorum disponit, ita ut utilitas inde proveniens immediatè ad privatos redundet, tum hujus effectus ratione directè & principaliter favore privatorum lata censetur: Veluti cùm disponit de contractibus minorum sine curatorum auctoritate non celebrandis. Ceterùm quando de re aliqua ad publicum spectante disponit, ita ut utilitas inde non ad cives singulos, sed ad civitatem universam immediatè pertineat, tum principaliter bonum commune, seu commodum publicum spectare dicitur: veluti cùm lex præcipit, ne equi vel arma vel frumentum extra civitatis aut regni limites exportentur. *Covarr. p. 2. de pact. §. 1. n. 6.* Manifestius adhuc discrimen in eo perspicitur, quòd violatione legis, quæ principaliter & directè ad privatorum commodum lata est, bonum commune immediatè non læditur, ut in alienatione fundi dotalis, non enim magis reipublicæ interest, ut permaneat apud maritum, quàm sit penes alium quemvis è civibus; idem dicendum de contractu minorum, de pactis de succedendo, & similibus. Secus se res habet in iis, quæ lex ob commodum publicum directè mandat aut prohibet, putà ne frumentum aut equi è regno exportentur: Sic enim regnum ipsum immediatè læditur, dum necessaria defensione ac com metu privatur. Quam ob rem ut concludamus tandem, jusjurandum quod vel legi divinæ, vel bonis moribus, vel utilitati publicæ adversatur, est ipso jure nullum, nec indiget relaxatione. Cùm verò lex aliquid prohibet vel præcipit in utilitatem privatorum, contra illam quidem contractus simpliciter celebratus nullus erit: sed si jurejurando sit confirmatus, quasi quis beneficio pro se introducto disertè validèque renunciasset, custodiendus est: quod tamen & ipsum sic limitandum est, nisi jusjurandum sit iniquo metu extortum: hoc enim casu eousque servandum erit, donec ab eo læsus absolvatur: & si aliquid ex hac causa solutum fuerit, creditor, qui metum intulit, id ex naturali æquitate restituere tenetur. *Sanchez de matrim. lib. 1. disp. 32. n. 11. & seqq.*

THESIS

THESES VII.

Cum igitur tam frequentem relaxationis five absoluti-
 onis à jurejurando mentionem hucusque fecerimus: eoque
 veluti immoto atque indubio fundamento hæc nostra dispu-
 tatio infistat, dispiciendum nobis est, an satis firmo pede ni-
 tamur: ne hoc convulso tota hæc Dissertationis nostræ ma-
 china corruere necesse habeat. Sunt equidem quamplures,
 iique magna auctoritate ac doctrinâ Viri, qui negant jurisju-
 randi vim & obligationem, à quoquam mortaliu[m] tolli pos-
 se; ed quodd hoc in casu non cum hominibus solùm, sed &
 cum Deo, quem testem invocamus, negotium geratur; cui
 ideo fides omnino sit præstanda, quam ob rem divinus *Psalmi-
 sta*, ubi viri boni virtutes enumerat, etiam hanc addit: *juratus
 in damnum suum non tamen mutai, Psalm. 15.* hinc & juramentum
 in sacris voti nomine nuncupari consuevit. *vide VVesenbec. in pa-
 rat. de jurej. n. 14. in fin.* Qua ratione moti Juris interpretes
 communiter sentiunt, ex jurata promissione seu contractu in-
 rer homines inito duplicem oriri obligationem, alteram
 Deo, alteram homini, cum quo res agitur, *cap. magna X. de voto
 c. etsi Christus, de jurej. l. 2. C. de reb. cred. Panorm. in c. veniens. n. 9. de
 jurej. Castr. in l. fin. n. 2. C. non num. pec. Corsetus de juram. quest. 14.
 Serser. de juram. l. 1. c. 15. n. 5. Petrus. de virib. juram. effectu 1.* Jam
 verò obligationem alicui acquisitam ille solùm remittere
 potest, cui est acquisita. *c. 2. de Sponsal.* ergo jusjurandum etiam
 à solo Deo, cui factum est, remitti relaxarive potest. Laudem
 itaque non vulgarem in historia Rom. reperit M. Pompo-
 nius, quodd ea, in quæ jurare coactus est à Manlio Torquato,
 retractare nunquam voluit: quam rem, uti gesta est, cum huc
 maximè spectet, ex Cicerone referam. L. Manlio, cum Di-
 ctator fuisset, M. Pomponius Tribunus Plebis diem dixit,
 quodd is paucos sibi dies ad Dictaturam gerendam addidisset:
 criminabatur etiam, quodd Titium filium, qui postea est Tor-
 quatus appellatus, ab hominibus relegasset, & ruri habitare
 jussisset; quodd cum audivisset adolescens filius negotium ex-
 hiberi patri, accurrisse Romam & prima luce Pomponii do-
 mum venisse dicitur. Cui cum esset nunciatum, quodd il-
 lum iratum aliquid allaturum ad se contra patrem arbitrare-
 tur:

tur: surrexit è lectulo remotisque arbitris, ad se adolescentem
jussit venire. At ille, ut ingressus est, confestim gladium di-
strinxit, juravitque, se illum statim interfectorum, nisi jus-
jurandum sibi dedisset, se patrem missum esse facturum. Jura-
vit hoc terrore coactus Pomponius, rem ad populum detulit,
docuit, cur sibi à causa desistere necesse esset: Manlium mis-
sum fecit. *Cic. 3. de offic. sub fin. Livius l. 7. c. 5. Val. Max. l. 5. c. 4.*
Sic & M. Attilius Regulus, cum Consul iterum in Africa ex
infidiis captus esset à Pœnis, juratus missus est ad Senatum
Romam, ut nisi redditi essent Pœnis captivi nobiles quidam,
rediret ipse Carthaginem. Itaque in Senatum venit; manda-
ta exposuit: reddi etiam captivos negavit esse utile; cujus
cum valuisset autoritas, captivi retenti sunt: ipse Carthagi-
nem rediit: neque eum caritas patriæ retinuit, nec suorum.
Neque verò tum ignorabat, se ad exquisita supplicia & ad
crudelissimum hostem proficisci: Sed jusjurandum, utcun-
que à captivo expressum, conservandum putabat, *Cic. d. lib. 3.*
de offic. Agell. 4. cap. 1. & 6. c. 3. & 4. Polyb. l. 1. c. 2. Val. Max. l. 1. cap.
1. & 9. c. 2. Frontinus 2. c. 3. Silius Ital. lib. 6. Augustin. 1. de civit. 15.
& 24. Verùm his non obstantibus, summos rerum publica-
rum moderatores exsolvere jurisjurandi religione subditos
suos aliquando posse censemus. Non quidem illius, quod
rectè & nusquam impedità voluntate rei licitæ confirmandæ
causa est adhibitum; hoc enim cum Deo jurantis animam si-
ne exceptione obstringat, à nullo mortalium remitti aut rela-
xari potest, *Gloss. in cap. quanto verb. absolvi, & ibi Dd. X. de jurej.*
Thom. 22. quasi. 89. art. 9. ita ut hîc ne Pontifici quidem, Deo
suo terrestri, potestatem ullam esse doceant Canonistæ. *Pa-*
norm. in c. cum parati. n. 9. de appellat. Petrul. de viribus juram. effect.
5. quod spectat illud *Bodini 5. de Rep. 6.* Qui Pontificem Rom.
non seipsum modò, sed etiam alios jurisjurandi religione sol-
vere posse tradunt, eos ego summa impietate obligari judico;
quanquam ab ipsis Pontificii Juris interpretibus satis refel-
luntur. Aliud verò statuendum, cum quis iniquo terrore
coactus jurejurando promisit, quod si sui arbitrii fuisset, nun-
quam promississet, licet promissum sine scelere possit exsol-
vi; cum non peccet, qui, quod nullo jure debet, solvit, sed is,
qui

qui indebitum accipit. Hoc quippe casu, quin summus Magistratus, subditum civem iniqua obligatione illa liberare possit, nullus dubito. Exercet enim omnis Magistratus legitimus vicariam Dei potestatem in terris: à quo summi illi populorum rectores sunt instituti, ut ejus nomine justitiam administrarent, delicta punirent, & per legitimos tramites calumniantium pravorumque hominum iniquitates repellerent, ut docet *Apostolus Rom. 13. & Prophetaregius Psalm. 145. pro- am. Inst. in pr.* Quamobrem cum Magistratus jusjurandum, quod iniquitatis aliquid continet, remittit, Deus ipse id remittere intelligitur, *Setfer. de juram. l. I. c. 24. n. 7.* Quid autem æquius est, quam id, quod justo metu aut vi majore gestum est, rescindere, cum voluntati nihil tam contrarium sit, quam vis & metus, quem comprobare contra bonos mores est. *l. nihil consensui. 116. de Reg. Jur. & contra quid iniquius, quam quenquam ex dolo suo lucrum capere l. I. & l. ne ex dolo 12. de dolo, aut ex malitia sua commodum sentire l. in fundo 38. de rei vindic. l. itaque fallo 12. §. 1. de furt. l. si duo 5. in pr. si quis caution. jud. f. ca. fact. aut ex suo delicto meliorem suam conditionem facere l. non fraudantur. 134. §. 1. de Reg. jur. æquissimum itaque illud edictum Prætoris, quo quod justo metu gestum est se ratum non habiturum edicit l. I. quod metus caus. quæ verba Spiritum sanctum, in ore Prætoris posuisse affirmat Baldus. Quare cum Deus justissimus, sive ipsa potius justitia, malitiis indulgeri, pravosque & temerarios homines, cum aliorum detrimento, locupletari nolit; nihil causæ est quo minus rerum publ. administratores, pro concessa sibi à Deo potestate, obligationem etiam juratam, justo metu extortam, tellere & jusjurandi vinculo hac ratione læsos exsolvere queant. Quod si cui hæc ratio non omni ex parte satisfaciat, accedat etiam illa; quod actus nostri non planè sint in nostra potestate, sed ita ut dependeant à superioribus, quorum voluntati illos conformare debemus. Potest autem Superiorum potestas duplex esse circa id quod juratur: altera respiciens personam jurantis, altera personam ejus cui juratur. Respectu personæ jurantis potestas illa superior aut irritum reddere potest jusjurandum antequam præstatur, quatenus jus inferioris pote*

potestate superioris continetur atque restringitur: aut postquam præstitum est jusjurandum, vetare potest, ne impleatur; cum inferior amplius se obligare non potuerit, quam quatenus superiori, ad cujus voluntatem actiones suas componere debet, placuisset. Hac ratione legibus Hebræorum, & mariti uxorum, & patres liberorum, qui sui juris nondum erant, jusjurandum sine suo consensu interpositum irritum reddebant. *Num. 30.* Hanc quæstionem etiam *Seneca* proponit *4. de benefic. 35. Si lex lata erit, ne id quisquam faciat, quod ego me amico meo facturum promiseram? Quam ita solvit, Eadem lex me defendit, quæ vetat; ne sc. præstetur, quod contra leges promissum est.* Similiter lege superioris constitui potest, ut quod inferior juraverit hoc vel illo casu, veluti metu coactus, aut imbecillitate judicii lapsus, non prius ratum sit, quam ab ipso fuerit approbatum: vel ut ita læsus possit in integrum restitui. Id quod etiam legibus Romanorum, ubique ferme hodie receptis, cautum reperimus. *l. i. quod met. ca. l. i. de minor. l. i. de dolo malo.* Jam verò constat legibus superiorum non solum Jurjurando, sed etiam legis divinæ præcepto, subditos adstringi: eique obligationi neminem quicquam, ne Jurjurando quidem, derogare posse: hinc quoties pactum à Jure communi remotum est, servari hoc non oportet, nec si juratum quidem sit. *l. juris gentium 7. §. & generaliter 16. de pact.* In omnibus enim pactioibus & actionibus nostris & legum & Magistratus superioris auctoritas excepta intelligitur, cui cum omnes ab incunabulis obstrictissimus, nemo derogare ullo modo, nec jurejurando, potest. *cap. venientes. 19. de jurej.* Atque ex hoc fundamento defendi posse absolutiones juramentorum censet etiam vir omnis divini & humani Juris peritissimus *Hugo Grotius d. J. B. & P. lib. 2. cap. 13. §. 20.*

Hucusque de potestate superioris respiciente eum qui jurat. Deinde quoque ejus respectu cui juratur, hac ex causa Jurjurando vis adimi & ejus effectus inhiberi potest: puta, si superior tollat Jus, quod inferiori Jurjurando quæsitum est; aut si prohibeat ne quid ex tali Jurjurando accipiat: quod omnino facere potest vi illius supremæ potestatis seu supereminetis dominii, sive in pœnam ejus qui contra leges,

ges & æquitatis regulas Jusjurandum exegit, sive ob utilitatem publicam, quæ suprema rerumpubl. lex est. *Grot. d. 1.* Quamvis igitur contra juratam promissionem, quam sine animæ periculo servare potest, sponte sua venire nemini liceat: attamen ubi quis se læsum aut deceptum sentit, superioris potestatis, cujus est malitiis obviam ire & innocentibus succurrere, auxilium implorabit, quæ re diligenter exploratâ, cum constat justo metu perterritum, vel dolo inductum, aliquem quid promississe juratum vel gessisse, subveniet læso, vel irritam reddendo promissionem, utpote contra voluntatem suam legemve, aut contra publicam utilitatem factam: vel vi supremæ illius potestatis verando, ne præstetur, quod ita contra æquitatis rationem promissum est: vel etiam jus inferiori Jurejurando quæsitum adimendo, aut eum compellendo ut jus illud remittat: quo casu ab-
solutione à Jurejurando non foret opus, cum is, in cujus favorem Jusjurandum principaliter præstitum est, id etiam remittere possit. *Panorm. & Felin. in c. 1. de jurej. Bart. & Jas. in l. 1. §. Et post operis. de oper. nov. nunc.* Dann die Hand welche den Eyd auffnimmt / kan ihn auch erlassen: Wie dann täglich geschicht / wann geschworne Underthanen in Sachen ihrer Obrigkeit sollen Zeugnuß geben / daß ihnen auff solchen Actum und weiter nicht der Eyd erlassen wird. *Sejer. de Juram. lib. 1. c. 24. n. 20. Carpz. p. 2. Jurispr. For. const. 36. defm. 6.* Causa tamen, ut dixi, exactè prius erit cognoscenda, ne civilis potestas mandata sibi à Deo jurisdictionis limites excedat; quamobrem operæ pretium me facturum existimo, si, quod ab Augusto Electore Saxonix hac in re constitutum sit, hic recenseam: ejus constitutionis, quæ est tricesima sexta partis secundæ, verba hæc sunt: *Die weil die Rechtslehrer ins gemein dahin schliessen / daß keine Weltliche Obrigkeit Macht habe / über geschworenen Eyd zuerkennen / sonderen daß solche Erkantnuß der Kirchen-Gewalt zustehe / so haben es auch unsere Rätthe / Juristen / Faculteten und Schöpffenstühlen darfür geacht / daß in den Faculteten und Schöpffenstühlen erstlich erkant werden soll / in was Fällen und wie weit die relaxation des Eydes statt habe / und das alsdann die Verordnung der relaxation auß wäßer massen solche vorzunehmen /*

D

nennen / uns heimgestellt und zugewisen : Wann auch diesel-
bige erfolget / für dem Richter erster Instantz in der Hauptsache
procedirt und verfahren werden solle / darbey wir es bleiben las-
sen. Ad quam constitutionem videri potest *Carpzovius in Ju-
rispr. Forens.* Sic & constitutione præcedenti, ubi, An in re-
nunciationibus juratis beneficium legis 2. C. de rescind. vend.
locum habeat, quæritur, idem Elector statuit, Daß disffahls
die Geschworne Verzieht / Verträge oder Handlung gehalten/
und wegen obgedachter læsion nicht hinterzogen werden sollen:
Es were dann wegen der Jugend / vorsætliches Betruges / oder
anderer wichtigen Umständen / die absolutio Juramenti zuzu-
lassen / welches in guter vernünfftiger Bescheidenheit stehet. Co-
terùm quando & ex quibus causis absolutio à Jurejurando
sit necessaria. & in quibus illa relaxatio concedi vel negari
soleat, fusè & eleganter disquirt *Cardin. Tuschus tom. 1. pract.
conclus. lit. A. concl. 54. n. II. & concl. 56. n. 1. & seq. & concl. 58. per
tot. & concl. 62. n. 7. & seqq.*

THESIS VIII.

Sed cùm Jusjurandum à civili potestate remitti posse
thesi præcedenti fuerit assertum, dissimulandum non est, esse
quamplurimos Juris Civilis & plerosque Canonici Juris in-
terpretes, qui de hac potestate seculari, uti vocant, Magistra-
tui controversiam movent, & in causis, ubi de jurejurando
servando vel non servando agitur, ad Ecclesiam, ejusq; Præ-
sules, ut Episcopos vel summum Pontificem confugiendum
censent, per textum expressum in *cap. novit. 13. sub fin. X. de jud.
c. venerabilem. 34. post med. de elect. & cap. ult. de foro compet. in 6.*
Juramentum enim, inquiunt, res est spiritualis ac divina &
vinculum animæ, cujus ideo relaxatio ad religionem perti-
net, unde sequi, ejus esse relaxationem hanc concedere deq;
illa judicare, cujus est religionis causas tractare. *Covarr. ad c.
quamvis 2. de pact. in 6. part. 1. §. 3. n. 27.* Tum quia in absolu-
tione à jurejurando de peccato agitur, quo casu res ad forum
Ecclesiasticum pertinet: neque competens de iis Judex laicus
esse potest. *d. cap. novit. 13. ante med. X. de judic. gl. ad cap. venera-
bilem verb. perjurii X. de elect.* ideoque hanc sententiam commu-
nem esse testatur *Curcius cons. 43. Schurf. cons. 62. num. 16. cent. 3.*

Andr.

Andr. Fachinus lib. 3. *controv. c. 13.* Verum rectius omnino sentiunt, qui hanc sententiam, ut contra veteres constitutiones Principum atque Canones fastu & ambitione Pontificum Rom. receptam, rejiciendam censent: atque hanc relaxandi jurisjurandi potestatem secularibus maximè magistratibus tribuendam. *gl. in l. adigere 6. S. ult. de jur. patr. Barr. ibid. in princip. Bald. in l. non dubiam. 5. C. de legib. u. 4. Guid. Papa decis. 178. n. 3. & decis. 194. num. 1. & seqq.* & spectat huc doctrina Baldi in l. 1. C. de oper. liberi. n. 3. ubi scribit, Canonistas omnia ad suum imperium & sua molendina trahere velle. Atque hujus sententiæ veritas pluribus juris rationibus confirmari potest: quarum præcipua est illa quam thesi superiori fusiùs persecutus sum, omne nimirum jusjurandum sic interpretandum esse, ut superioris auctoritati nihil derogeret, utpote quæ in omnibus actionibus & conventionibus inferiorum excepta intelligitur, & hoc est quod Paulus scribit in l. vet. ff. qui satis d. cog. pejerare non videri, qui ex justa causa à jurejurando recedit, id est, ex causa à lege vel Principe probata. *Gorofr. ibi. sic in l. adigere 6. S. ult. de jure patron. dicitur, lege Julia de maritandis ordinibus remitti jusjurandum, quod liberto impositum est, ne uxorem duceret, & in l. ult. ad munic. Antoninus & Verus Imp. disertè rescribunt, se gratiam facere jurisjurandi ei, qui juraverat se ordini non interfuturum, & postea adum vir creatus est. Ita & Tiberius equiti Rom. jurisjurandi gratiam fecit, ut uxorem in stupro generi deprehensam dimitteret, quam se nunquam repudiatum antè juraverat, ut auctor est Sueton. in Tiberio c. 35.* Neque hoc jus summæ potestatis ambitiosis Pontificum Rom. decretis opprimi extinguique potuit. Nam & hodie Imperatori communiter à juribus publicis doctoribus tribuitur jus absolvendi à juramento ad effectum agendi, hoc est, ut quis sine metu perjurii aliquem in judicio convenire possit, quem se non conventurum juraverat. Einem seinen gegebenen Orphed/ gegen dem Herren/so ihn verurpsetet hat/ relaxiren, damit er sich gegen selbigen Rechtes gebrauchen möge. *Schwveder introd. ad jus publ. part. Spec. Sect. I. c. 16. S. 13.* idem juris etiam Cameræ Spirensi tributum est. Nam cum in Germania sæpius contingat, ut subditi innocentes

centes etiam ob causas civiles à Principibus suis contra jus
fasque carceri mancipentur, nec priùs dimittantur, quàm ju-
rejurando promiserint se carceris injurias non vindicatu-
ros, quod vulgo geschworne Brpbed/ appellant, in *ordinatione Ca-*
mera part. 2. tit. 24. sancitum, ut à tali jurejurando relaxatio
ad effectum agendi peti & à Camera concedi possit. *Gail. 1.*
observ. 22. Sic in eadem Camera sæpe judicatum fuisse, ut cùm
Princeps aliquis vel Status Imperii banno Imperiali subji-
citur, Imperator ejusve consistorium subditis remiserit jura-
mentum fidelitatis, quo Principi illi vel Statui ante banni
declarationem erant obstricti, testis est *Mysing. cent. 5. obs. 99.*
n. 2. & seq. Nec Imperatori solùm & Camerae, sed & aliis Im-
perii Statibus hanc remittendi jurisjurandi facultatem repe-
tere, ipse rerum usus docet & confirmat *Myler. de Statib. Imper.*
cap. 44. num. 5. quod etiam demonstrant constitutiones Au-
gusti Electoris Saxoniae superiori thesi prolatae. Monendum
tamen semper est, id juris alia ratione exerceri non posse, ni-
si re priùs diligenter explorata & cum viris divini humani-
que Juris peritis communicata: ne suae jurisdictionis limi-
tes excedat civilis potestas; hinc ut certius de causa relaxa-
tionis constare possit, etiam adversae partis praesentia, quae per
ejusmodi relaxationem laedi posset, opus erit, ideoque ejus cita-
tio hac in re regulariter requiritur. *Panorm. in c. 1. X. de jurej. n. 10.*
& 13. Felin. ibid. n. 23. & seq. Gail. 1. obs. 22. Card. Tusch. tom. 1. con-
clus. lit. A. concl. 61. quod quomodo limitandum sit, docet *Berlich.*
part. 2. concl. 44. n. 30. & seqq.

THESIS IX.

Sed quid si quis conceptis verbis jurare coactus fuit, se
non petiturum absolutionem à jurejurando, an jurata hac
promissione non obstante absolutionem illam petere possit,
dissentiunt inter se juris interpretes. Mihi tamen affirmanti-
um sententia, propter easdem rationes, quas supra pro coacti
jurusjurandi obligatione tollenda produximus, potior vide-
tur, quam eleganter adstruit *Felin. in c. praterea 2. X. de Sponsali-*
bus. n. 19. & in c. debitores 7. X. de jurej. n. 9. Berlich. de concl. 44. n.
26. Carpz. part. 2. Jurispr. For. const. 36. def. 2. n. 7. Cùm etiam con-
stet, heredem ejusdem potestatis jurisque esse cujus fuit defun-
ctus,

ctus, l. heredem 59. de Reg. J. & neminem debere melioris esse conditionis, quàm auctor ejus, à quo jus in eum transit l. in his 175. §. 1. eod. Hic non immeritò dubitari solet, an obligatio jurisjurandi ad heredes transeat, ita ut etiam istis absolutione opus sit, si contra jusjurandum defuncti venire, & adversus eum, cui juratum est, experiri velint, quod rectè negant Gail. 1. obs. 27. Tusch. tom. 1. lit. A. concl. 58. n. 26. & 49. Cothman. vol. 2. consil. 53. n. 285. Carpz. d. const. 36. defn. 7. eò quòd jusjurandum, tanquam vinculum spirituale, personam jurantis non egrediatur, sed ejus morte finiatur: quoad vinculum scilicet perjurii. Panorm. inc. veritatis 14. X. de jurej. ubi ait reatum perjurii non transire ad heredes, nec animam alterius ligare posse; cum Jus spirituale non transeat de anima in animam. Secus autem est quoad efficaciam obligationis, & vires contractus ipsius, quem heres ob jusjurandum defuncti compelli potest ut servet: quamvis si servare nolit, in perjurium non incidat Panorm. d. l. Castrens. in l. si grege. n. 9. de legat. 1. Paris. cons. 54. vol. 1. ideoque heres etiam nulla petita absolutione à juramento allegare potest omnes exceptiones, quas defunctus impetrata absolutione opponere potuisset, & recta via petere rescissionem contractus, Paris. d. l. Dd. in d. cap. veritatis X. de jurej. Gail. d. observ. 27. Illud insuper hìc quæri solet: Si quis per fidem, per existimationem, per conscientiam per Juramentum suum aliquid affirmet, bey Trewen / Ehren und Glauben / bey seinem Eyd / seinem Gewissen / an perinde habeatur ac si solenne & corporale, uti vocant, juramentum præstitisset: adeoque ne promissioni huic contraveniendo in perjurium incidat, absolutionem impetrare debeat? Et quanquam communis sit Doctorum nostrorum opinio, talem assertionem vel promissionem solenni jurijurando æquipollere & Jure præsertim Canonico accuratè observari debere, cap. ad aures. & ibi Panorm. n. 3. de his qua vi metusve caus. cap. pervenit. ubi gl. in verbo juramenti de fidejuss. gl. in c. penult. verb. quod promisit de jurej. fusè Schurfus post alios plures quos laudat, cons. 37. n. 11. & 21. cent. 2. Gail. 2. observ. 59. quos sequitur Cothman. cons. 53. n. 237. & seqq. vol. 2. Potius tamen est ut statuamus cum aliis sanioribus tam Theologis quàm Jcctis, talem quidem promissionem severa hac

obtestatione firmatam servandam esse, nec posse sine gravi nota impietatis violari: Verum cum hic nulla fiat Creatori injuria, nulla accedat invocatio nominis divini, nulla vindictæ postulatio, si fallamus, quæ quidem in jurejurando vero requiruntur, pro simplici asseveratione, non pro jurejurando habendam esse censent *Frid. Balduinus de cas. consc. lib. 2. c. 9. cas. 2. in fin. Moller. ad Const. Saxon part. 2. const. 36. in 10. & seqq. Carp. Zov. ibid. in fin. 8. Serser. de juram. l. 1. c. 16. Rauchbar. part. 2. qu. 2. n. 72. & seqq. Berlich. part. 2. concl. 44. n. 24.* qui omnes admittunt illam limitationem *Felini in c. præterea 2. de Sponsal. n. 15.* has promissionum formulas vim quidem juramenti habere, si de fide conventionum, promissorum observantia, & exclusione remediorum rescissiorum quærat: non autem si de pœna perjurii agatur: quæ alia ratione non incurritur, quàm per veri jurisjurandi violationem. Tandem verba hæc jurejurando comparari, licet revera jusjurandum non sint, aliud autem esse tale revera esse, aliud loco talis haberi. *Rauchbar. d. l. n. 7.* Sed quod plerique Auctorum modò laudatorum etiam illas formulas, quæ sunt per vitam, vel per animam jurantis, vel etiam per verbum æternæ veritatis: *bey seinem Leben/ seiner Seelen Seeligkeit/ bey dem Wort der ewigen Wahrheit/* fictis ejusmodi juramenti accensere velint, probare non possum. Continent enim illæ omnino tacitam Numinis Divini invocationem, & vindictæ manifestam postulationem: nihil quippe sibi volunt aliud, quàm ut ultioni divinæ vitam vel animam suam jurans obstringat, si fefellerit: & qui per verbum æternæ veritatis jurat, per Christum vel Deum ipsum jurare, cui soli hoc elogium tribui potest, dubium mihi nullum est. Quid enim interest, quibus verbis Deus describatur: aut tacitè an disertè nomen ejus jurando invocetur? & faciunt nobiscum *Cypr. de jure Connub. part. 1. cap. 1. §. 1. Fransk. ad Dig. de jurejurando num. 16. Hahn. ad Vvesenbec. eodem tit. num. 6.* Priores autem illas formulas quod attinet, cum absolutio à vinculo jurisjurandi in vero tantum, non in ficto jurejurando, idque ad vitandam pœnam perjurii, quæ hic nulla est, peti debeat: sequitur nec in casu hoc nostro absolutione ista opus esse, nec perjurii pœnam incur-

tere

rere, qui contra talem promissionem venit, & ita sentiunt Doctores modò laudati aliique plures, quos ibidem testes producant. Si quis autem tam teneræ sit conscientiæ, ut etiam hoc in casu relaxationem impetrare velit, cum in ejusmodi rebus præstet in excessu, quàm in defectu committere; & abundans cautela non noceat. *l. testamentum 17. C. de testam. l. pen. C. de evict. imò prosit in dubiis Tusch. in lit. A. pract. concl. 68.* audiendum talem esse censeo. Sicut & absolutio- nem in Camera Imperiali simili in casu peritam aliquando & impetratam fuisse, quanquam de honestate potiùs quàm de necessitate, testis est *Rutger. Rolan. de commiss. part. 2. l. 2. cap. 11. n. 30. & 40.* Quod de his verborum formulis, quæ jurisju- randi vim habere vulgò creduntur, dictum est: idem de pro- missionibus Principum ac personarum illustrium, quas fide principali interposita, confirmare solent, bey Fürstlichen Eh- ren/ Würden und Glauben: vel Comitum atque Nobilium, bey unsern Gräßlichen und Adeltichen Ehren/ Treuen und Glau- ben/ quas immeritò impietatis arguit *Vvesenb. de jurejur. n. 6. in fin.* dicendum existimo. Licet enim ejusmodi promissiones & assertiones personarum illustrium atque nobilium jurisju- randi loco habeantur, & eas non minùs, quàm solenne jus- jurandum, obligare censeantur, *Coler. de process. execut. part. 1. cap. 10. n. 24. & n. 41. part. 1. Cothman. conf. 53. n. 238. & seqq. vol. 2. Ber- lich. p. 2. concl. 21. n. 36. & seq.* atque ita sæpius judicatum fit in Camera Imperiali, teste *Mynsing. cent. 1. observ. 17. n. 1. 2. Gail. lib. 2. obs. 59.* quoniam tamen cum vera jurisjurandi forma, de qua supra dictum, nihil habet commune: adeoque nec perjurii pœ- na ejus violatoribus infligi possit, nullà etiam hic relaxatio- ne ad effectum agendi opus erit. *Hart. Pistor. p. 4. quæst. 6. n. 3. Rauchbar. Pistor. p. 4. quæst. 2. n. 58. Carpzov. p. 2. Jurispr. For. const. 36. defn. 9. Berlich. d. concl. 21. n. 39.*

THE S I S X.

Hucusque in genere de vi & effectu Jurisjurandi, vi & metu extorti, à nobis actum est; reliquum esse videtur, ut jus illud ad certas quasdam facti species, quæ frequentius in communi hominum societate contingere solent, accommo- demus; & quæstiones quasdam, ad materiam hanc spectan- tes,

tes, & inter utriusque, divini ac humani, juris interpretes
controversas, multumque agitaras discutiamus. Inter quas
primùm illa occurrit: An qui metu perculsus prædoni pre-
tium jurejurando pro capite pepigit, id ei adferre teneatur?
Cicero quidem 3. de offic. contendit, nullum esse perjurium, si
non adferatur: eò quòd pirata non sit ex perduellium nu-
mero definitus, sed communis hostis omnium, cum quo nec
fides esse debeat, nec Jusjurandum commune, quod etiam de
tyranno dictum est ab eodem. 2. civil. & à Bruto apud Appia-
num ἡδὲν ἴσθαι ἐστὶν Πραυδαίος ὄντας νεγυβάς, ἢ ἐνοπλιῶν: cum ty-
rannis Romanis nulla fides, nulla jurisjurandi religio est. Verùm si-
cut negari non potest, esse aliquam Jure gentium inter ho-
stem & piratam differentiam. 1. hostes 118. de Verb. Sign. ita hic
ea ratio contra piratam facere nequit, ubi non cum homine
solùm, sed etiam cum Deo, negotium geritur. Neque conce-
di potest, quod Cicero sumit, nullam esse cum prædone Ju-
ris societatem; nimirum prædones qui sunt, homines esse
non desinunt, at homines omnes, qui ad rationis usum per-
venerunt, Juris illius naturalis capaces sunt, quod ex con-
sensu, pactione vel promissione oritur, l. 1. de pactis. unde de-
positum ex ipso gentium Jure reddendum esse latroni, si do-
minus non appareat, rectè à Tryphonino responsum est, in l.
bona fides 31. depos. quin etiam Ciceronem ipse Cn. Pompeus,
quem laudibus in cælum extulit, cui que belli piratici con-
fectionem cum amplissima potestate decernendam censuit,
refellere potuisset, qui maximam illius belli partem pactioni-
bus confecit, fidemque latronibus pro Republ. datam, ut
dispersi in provinciis populi Rom. viverent, nec eis fraudi
esset, quòd piraticam exercuissent, servavit. Plutar. in Pompe-
jo. Sic Augustus Corocotæ latroni constitutum in caput ejus
pretium, cum se ipse sisteret, persolvit, ne fides violaretur.
Dio. lib. 56. Statuendum igitur est, pactum cum latrone initum
Jure gentium servandum, promissumque pro capite pretium,
maximè si juratum sit, esse numerandum, nisi vis illius obli-
gationis à potestate superiori, juxta ea, quæ hucusque dispu-
tata sunt, fuerit sublata. Potest enim omnino regionis illius
Princeps aut Magistratus, vi jurisdictionis, quam habet in
omnes

omnes territorio suo comprehensas res & homines, imò & alia quævis publica potestas, cujus est justitiam administrare & delicta punire, Jus illud latroni quæsitum auferre. Nam qui atrociter malefici, neque ullius civitatis pars sunt, hi à quovis homine puniri possunt, si naturæ Jus respiciamus. Jam qui puniri possunt, ut vitam amittant, his etiam res & Jura sua possunt auferri: unde rectè dictum à Cicerone 3. de officio. *Non est contra naturam spoliare eum, si possis, quem honestum est necare.* Hoc autem maxime ad Magistratus publicos pertinet; quorum est flagitiorum pœnas à sceleratis hominibus exposcere, atque ita prædonis ratione promissio fiet inanis. Ratione verò promittentis idem Magistratus vetare potest, ne promissionem adversus voluntatem suam legumve factam impleat, cum Juris æquitas eum, qui justo metu compulsus aliquid promisit, solutionis necessitate liberet. Nec impedit, quòd Jusjurandum accesserit, id enim inferioris contractum contra voluntatem legum & auctoritatem superioris inritum confirmare nequit, juxta ea quæ suprâ à nobis in medium allata sunt: posse quinetiam vim Jurisjurandi justis ex causis, in quibus etiam justus metus est, à Magistratu summo, qui in reddendo Jure Dei O. M. vices agit, inhiberi atque remitti, in præcedentibus satis apertè demonstratum est, atque ita eum, qui juratus prædoni pecuniam metu promisit, eam solvendi necessitate liberari posse censeo; tamen si aliud maximi nominis & Theologis & Jurisconsultis placuerit, quos videre licet apud *Rauchbar l. 2. q. 4. in pr.* ubi hanc etiam quæstionem operosè, minùs tamen accuratè, pertrahat.

Quidam etiam aliud, & quidem difficilius dubium huic quæstioni adnectere solent. Quid nimirum statuendum sit, si quis prædoni etiam silentium Jurejurando promiserit, seque factum illud nemini patefacturum? *Frider. Bald. lib. 2. de casib. cons. cap. 12.* difficile judicat esse hîc aliquid certi asserere. Tutiùs tamen facere qui silentium non teneat, sed magistratui latrones indicet, ne alioquin securitas publica violeretur, aliique in idem vitæ discrimen inducantur. Alii hîc etiam jurejurando standum esse censent. Alii vi-

E

ri do-

ri doctissimi, et si latrones non aperte indicari, attamen oblique ad Magistratum deferri, eumque moneri posse statuunt, securitati regionis prospiciat. Verum hoc etiam dubium ex iis quæ supra disputata sunt, non difficulter removeri potest. Siquidem certum est pactum, contra utilitatem ac securitatem publicam initum, nullius esse momenti, etiamsi juratum sit *l. jurisgentium 7. S. & generaliter lib. de pact.* cum priori fortiorique Jurejurando obstrictus sit quisque, patriæ suæ commoda promovere, & quod publice damnosum est, avertere: cui juri, pacto quocunque, derogari nulla ratione potest.

THESIS XI.

A causis privatorum ad controversias Principum transeamus, & illam maximi momenti quæstionem examinemus: Utrum Princeps, sicuti subditos suos, ita se quoque restituere in integrum, aut Jurisjurandi religione semetipsum exsolvere possit? Censet equidem *Bodinus lib. 1. de republ. cap. 8.* Principes sive juratos sive injuratos, ex iisdem causis, quibus privatus ac subditus quisque, si capti sint, restitui posse: sive aliena fraude, sive dolo, sive metu circumventi sint: Non tantum in iis, quæ ad Jura Majestatis imminutæ, sed etiam in iis, quæ ad privata commoda rationesque domesticas attinent. Rectius tamen *Grotius lib. 2. de jur. Bell. & Pac. cap. 14. in pr.* distinguendum censet, inter actus Principis publicos & privatos. Actus publici sunt, quos Princeps totius civitatis nomine, cujus personam sustinet, celebrat, hos autem actus Jure civili, ex quo descendit restitutio, non regi constat. Tum etiam, quod omnis restitutio à superiori quadam potestate facienda est; qualem isti actus publici non agnoscunt. Aliud verò dicendum de Principum actibus privatis, quos non totius civitatis nomine, sed tanquam privati ac pars aliqua civitatis ineunt, eo animo, ut communes juris regulas sequantur. Unde leges, quæ actus quosdam vel simpliciter, vel si læsus velit, irritos faciunt, hic etiam locum habebunt. Ex hac distinctione illud etiam sequitur, de quo non minori contentione inter Juris publici peritos disceptatum, pactionum ac conventionum publicarum fidem esse

esse servandam, etiamſi detrimento ſint Reipublicæ, nec prætextu metus illati refundi poſſe, tamenſi diverſum plerique Romani Juris interpretibus videatur, ut *Alex. conf. 48. lib. 4. & conf. 17. lib. 5. Franc. de Acol. conf. 14. Decius conf. 219. Bald. conf. 364. & 26. lib. 3. & conf. 40. lib. 1. Gemin. conf. 124. Cardin. Zabarella. conf. 137.* quibus tamen omnibus meritò quis objecerit illud *Q. Mucii. in l. 2. §. Servius 43. de orig. Jur.* turpe eſſe viro nobili & cauſas oranti jus civitatis, in quo verſatur ignorare. Aliud quippe obſervatum fuiſſe Romanis, & Jura feſtalia, & qui res illorum geſtas litteris prodiderunt, docent. Quamvis enim mos huic populo fuerit, etiam in extremis periculis conſtanter ſervatus, teſte *Dion. Halicarn. lib. 8. cap. 37. in fin.* cavere ne quid inviti vel hoſtili metu coacti feciſſe viderentur: Quare *Q. Cicero* Cæſaris legatus cum Gallis armatis, à quibus tamen undique premebatur, paciſci renuit, reſponditque, non eſſe conſuetudinem populo Romano, ullam ab hoſte armato accipere conditionem. *Cæſar. lib. 5. de bell. Gallic. cap. 11.* Ubi tamen fides ſemel publicè data fuit, eam ſumma religione ſervarunt Romani, quantumcunque commodi ex ejus violatione ad rempublicam redundare poſſe videretur: quod exemplis demonſtrat *Val. Max. lib. 6. cap. 6.* Sed neque Populo Romano, nec ejus Imperatoribus ac Conſulibus, unquam in mentem veniſſe legimus, fœdera pactio- nesque publicas eo nomine reſcindere, quòd vi ac metu facta eſſent. Igitur *M. Attilius Regulus* cum ex inſidiis captus eſſet à *Pœnis*, juratusque, eo modo quo ſuprà diximus, Romam dimiſſus, tamenſi ſciret ſe ad exquiſita ſupplicia reverti, ad hoſtes tamen rediit, neque vim & metum ſibi excuſandum putavit. Sic *C. Hoſtilius Mancinus* cum victus à *Numantinis* ad contumelioſas pacis conditiones eſſet compulſus, easque Senatui Rom. perſuadere non potuiſſet, nullam vim cauſatus ad hoſtes redire coactus eſt. *Liv. epiſt. lib. 55.* Habemus itaque optimos Romani Juris interpretes Conſules Romanos, qui officii retinendi cauſà ad cruciatus voluntarios proficiſci, quàm frivola metus excuſatione fidem deſerere, maluerunt. Nec aliter *Conſul Poſtumiſ*: qui cum in iniqua loca pellectus, & ad *Furculas Caudinas* dolo *C. Pontii*

Pontii Samnitium ducis cum exercitu inclusus, nullam spem
evadendi videret, quovis pacto pacem cum hoste ferire con-
stituit, sic liberato ab internecione exercitu, sexcentis obfi-
dibus datis, Romam profectus, negavit in iussu populi fœdus
ullum sanciri posse, quod p̄pulum teneat. Extat in ejus ora-
tione, quam hac de re ad populum habuit, nulla mentio ter-
roris aut metus, qua factum excuset, quanquam quæ major
vis esse potuit, quam cum inter duas fauces Apennini montis
fraudibus hostium interceptus exercitus, sic conclusus erat,
ut nec progredi, nec regredi, nec cum hoste dimicare posset;
igitur aut fame pereundum, aut pacis condiciones, quas vi-
ctor imposuerat, erant ineundæ: quas cum populus Rom. ut
in iussu suo factas, repudiaret, censuit Postumius, se unâ cum
Veturio collega nudos ac vinctos hostibus esse dedendos:
cum non ignerarent se ad cruciarum, aut sempiternam ser-
vitutem, quovis cruciatu fœdiorem, proficisci. *Liv. 9. cap. 9.*
Ex quibus patet Romanos, à quibus Juris fecialis omnisque
justitiæ purissimi fontes ad reliquos populos dimanarunt, i-
niquum semper judicasse datam publicè fidem solo metus co-
lore fallere; aut id, quod victori promissum esset, non exequi.
Nam ubi iusta belli gerendi causa est, metus etiam, qui bel-
lum comitatur, & quæ sequuntur pacis condiciones, utrun-
que duræ, ob dubium & in utramque partem proclivem ejus
eventum communi gentium consensu justissimæ habentur,
quod nisi placuisset, nemo est qui non videt, nullum unquam
bellorum finem, nullum modum rapinarum ac cædium fore,
cum pacis leges fere semper invitis imponantur, & à victis
gravioris mali metu accipiantur. Quamobrem probari non
potest Francisci majoris Galliarum Regis consilium, qui, cum
anno superioris seculi vicefimo quinto ad Papiam ingenti
prælio à copiis Caroli V. Imperatoris victus captusque ef-
set, & Madritum in custodiam abductus: pactis tandem certis
conditionibus dimissus est, quas se cum primùm regni sui fi-
nes attigisset, ratas habiturum, aut in captivitatem rediturum
juratus promisit: eamque in rem Franciscum & Henricum
filios obsides dedit. Cum vix Hispaniæ fines evasisset, omnes
uno pendè consensu Principes ac populi suas opes ac copias ad
illum

illum sponte detulerunt, si adversus Imperatorem bellum renovaret. Rex in curiam Parisiorum venit, senatum habuit, & uniuscujusque sententiam exquisivit, pacis condiciones ratas haberet nec ne? Selva Præses Curia Parisiorum, ad infirmam pacem, *Zabarella Cardinalis auctoritate. d. cons. 137.* usus est, qui, quod in eo genere vi ac metu factum sit, ratum haberi non putat oportere; idque exemplo Johannis Cypri Regis, qui à Genuensibus captus obsidem filium dederat, nec tamen fidem servarat. Hic mirari subit cum *Bodino lib. 6. de Republ. c. 6.* non erubuisse Principem tanti Senatus, non modo Juris fecialis imperitum hominem testem laudare, sed etiam ejus tam ineptis argumentis sese munire. Hæc potissima pacis infirmandæ ratio fuisse videtur, eodem Bodino teste: additum etiam illud non potuisse Regem provincias Imperii Gallici, Burgundiam, inquam, & maximam Belgii partem, sine Senatus populique consensu hostibus promittere, quæ ratio plus momenti habet. Certum enim est Reges qui non pleno jure imperant, sed certis legibus, in quas, antequam regni habenas suscipiant, jurare tenentur, adstricti sunt, non plus potestatis in administratione rerum sibi vindicare posse, quam per eas leges admittitur: contra quas si quid actum promissumve fuerit, aut ipso jure nullum erit, aut à populo fiet irritum, quatenus is regio actus infirmandi confirmandique sibi servavit facultatem. Et si qui sint Reges, qui summa quidem legibusque soluta potestate imperent, sed regnum non pleno proprietatis jure teneant, illi quoque cum regnum, vel regni partem, aut rem aliquam fiscalem alienant, nihil agunt, sunt enim tales actus, etiam si jurati sint, ipso jure naturæ, nulli, utpote facti de re aliena: ut scitè docet *Grot. de J. B. & P. lib. 2. cap. 16. S. 2.*

THESIS XII.

Concludamus tandem hanc exercitationem nostram illa multum agitata inter Jurisconsultos, & in communi hominum vita sæpius in rerum usum deducta, quæstione: Quid censendum de promissis & contractibus juratis in carcere factis? Ad quam quidem in genere respondendum est, secundum *Paulum in l. qui in carcerem 22. ff. quod met. ca. Qui in carcerem*

cerem aliquem detrusit, ut ei aliquid extorqueret, quicquid ob hanc causam factum est, nullius momenti est. *Hæc Paulus.* Volunt enim Doctores nostri, ut liberæ sint non coactæ, conventiones, ut supra dictum: jam verò ubi corpus liberum non est, ibi nec mens libera esse præsumitur. *Alex. conf. 241. in fin. n. 10. vol. 6.* Et frustra sunt, qui hic fraudibus latebras quærunt, putantque validè contrahi, si vinculis quis constrictus vel custodia circumdatus extra carcerem dimissus sit, ibique promissum ab eo, quod volunt extorserint: deinde facta promissione in carcerem reducerint: neque enim hic libertate restitutus dici potest, ideoque perinde habetur, ac si adhuc carceris custodia detineretur. *l. solutum 48. de verb. sign. Bart. in d. l. qui in carcerem n. 1. quod met. ca. Bald. ibid. lect. 1.* Nec interest, utrum publico quis an privato carcere constrictus teneatur. *Alber. in d. l. qui in carcerem. post. num. 3. quod met. ca. Afflict. decis. 49. n. 1. sive quis à latronibus vel à Tyranno detineatur. Afflict. d. l. n. 2.* Quinimo non solum ipse carcer, verum etiam metus carceris & vinculorum sufficit ad obligationem promissorum tollendam *l. 7. S. 1. l. ult. S. 1. quod met. ca.* Ea tamen quæ hætenus de contractibus in carcere factis dicta sunt, ad eos solum pertinent, qui injusto carcere detinentur, ut sentiunt Doctores communiter. *Alber. in d. qui in carcerem post. n. 3. quod met. ca. Alex. conf. 241. n. 10. vol. 6. Quid. Pap. decis. 253. Natta conf. 451. n. lib. 1. 5. Roland. conf. 2. n. 47. vol. 1.* Secus autem dicendum, si justas ob causas quis fuerit in carcerem coniectus. *Alber. ad d. leg. per tot. Bald. ibid. lect. 1. & 2. Mascard. de probat. lib. 2. conclus. 1051. n. 31. Wesenb. in parait. quod met. ca. n. 3.* quia hunc ipse sibi metum fecit. Etenim vis à Magistratu justè facta, putà ad sententiam suam exequendam, restitutionem non habet. *l. 3. S. 1. quod met. ca.* Secus si Magistratus paritate sua fuerit abusus, ad vim injustam inferendam, & ab eo, qui justè quidem in carcerem detrusus est, aliquid metu, quod non debebat, extorquendum. *Bach ad Wesenb. d. l.* Hoc enim in casu Magistratus pro privato habetur. *l. 32. de Injur.* atque huc spectant ea, quæ superius disputata sunt, de iis quæ à justo bello captis fuere promissa, quæ omnino servanda duximus. Sed quid si quis non quidem ei, à quo in custo-

custodia detinetur, sed alteri cuiquam aliquid promiserit?
Hic dicendum valere contractum cum tertio quodam in car-
cere celebratum, quum metus abesse censeatur, ut diserte
declarat *Gloss. in d.l. qui in carcerem. & ibi Bart. num. 1. Bald. ibi
lect. 1. vers. secus si cum tertio. Alberic. n. 1. in fin. vers. & sic intelligo.*
Afflict. decis. 246. n. 8. nisi forte is tertius, cum quo contractum
est, etiam particeps fuerit carcerationis, sic enim eadem ra-
tio, quæ in principali militaret. *Bart. aliq. Dd. in dict. l. qui in
carcerem Pap. decis. 253. Afflict. decis. 149. n. 4. Menoch. de arbitr. qu.
lib. 2. cons. 136. n. 5. Ruin. cons. 113. n. 4. & seqq.* ubi hæc pluribus
declarat ac limitat. Quod si verò contractus utilitatem e-
jus, qui vinculis detinetur respiciat, neque sic vim suam a-
mittet: quæ mens est Doctorum modò laudatorum. Sed
ad propositum nostrum propiùs accedendum est, & viden-
dum; num idem planè dicendum sit, sive jusjurandum ac-
cesserit, sive non? Eadem ratione hæc expedienda veni-
unt, qua ea omnia, quæ suprà in genere, de vi conventio-
num juratarum disseruimus, ut nimirum contractus talis, si
cum Jure divino, bonis moribus, aut utilitate publica non
pugnet, custodiendus sit, donec Jurisjurandi religione pro-
missor fuerit exsolutus, quæ sententia tutior est & rece-
ptior quicquid alii contràsentiant. *Farinat. tract. de carcerib. quæst.
35. num. 12. lib. 1.* hocque etiam in Germania observari suprà
Thesi VIII. expositum est. Denique notandum, contingere
interdum, ut is qui vinculorum carcerisve metu, vel latro-
nis aut tyranni minis, deterritus aliquid promisit, illud po-
stea, quum libertate restitutus sui que arbitrii factus est, ratum
habeat: quæ rati habitio sine dubio validam reddit obligatio-
nem, modò sine dispendio salutis æternæ possit servari. *Gloss.
in d.l. qui in carcerem. quod met. ca. quò facit l. 2. C. de his qua vi met.
ca. l. pen. de cond. ob turp. ca.* per spontaneum quippe actum me-
tus purgatur, ubi quis in tuto collocatus ratum habet, quod
metu gesserat. *Bald. in rubr. X. quod met. ca.* unde sequitur, si
quis id, quod terrore inductus promiserat, postea sui juris fa-
ctus exsolverit, repetitioni locum nullum esse, sic enim ra-
tum habuit, quod gestum est *d.l. 2. C. de his qua vi met. ca. vid. Nat-
ta cons. 451. vol. 2. Roland. cons. 2. vol. 1. Mascard. de probat. l. 2. concl.*

1051. n. 34. & 36. *Theſaur. deciſ. Pedem. 177. n. 8. & ſeqq. Joſ. Ludov. deciſ. Lucenſ. 18. n. 1. & ſeqq. Farinac. d. tract. de carceribus quaſt. 35. num. 38. lib. 1.*


Hæc igitur ſunt, quæ de propoſita nobis materia diſſerenda amicorumque ac eruditorum virorum ju- dicio ſubmittenda cenſui. Si quid ſit, quod minus rectè dictum videbitur, rationibus contrariis victus mutabo lubens, meque non invitus in rectam viam reduci patiar. Omnia tandem, bene ſecusve ſcripta, æqui bonique conſules, Lector, qui hoc quicquid eſt tumultuarii opusculi inter alias ſtudiorum curas, quibus qui Doctrinæ honores ambiunt, quique nobiliſſimarum regionum ambitum, cui jam accinctus ſum, in animo habent, nunquam non obſiti eſſe ſolent, forte fortuna natum cognoveris. D. O. M, ſic laus honorque in ſempiterna ſecula!

F I N I S.



32. Albinus, de mutuo.
34. Anselm, Grundriß der Grundgesetze.
35. Struv. de bonis mariti in rebus uxoris immobilibus
inestimato in dotem dato.
36. Struv, de lucro dotis ejusque privilegio in concursu
creditorum. non ver. Gai mittheilteigau Harbenburg.
37. Schaeffer, de atramento.
38. Bierlingius. de eruditione politica.
39. Bünting, de jure filii.
40. Büchel, de prima instantia camerae quoad personas.
41. Buchholtz, vindictae secundum dispensationem metri
mariti cum defunctae uxoris favore ab infidelis.
42. Stoyce de jure matrimonii et institutione.
43. Stoyce de fine matrimonii.





Universitäts
Bibliothek
Rostock

http://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn749383615/phys_0048

DFG

omnia tractant, mox nimium
re sibi imaginantur, sana veræ sa-
cipia rident, contemnunt, præ-
cant, ingenio maxime si præ-
cum ratione insanire possint.
vero eiusmodi homines reli-
tis studiis in patriam reuertuntur
ra Reip. subeunda iis sunt, tum
rique sero nimis animaduertunt
ces se fere ad omnia esse, tem-
se in Academiis peractum, &
frustra erogatos esse, nec aliis fu-
quem hauserunt in Academiis,
vendi posse, quam ipsi quidem
marunt. Vt adeo finis studiorum
di hominum plerumque sit non
vero, Clarissime Candidate, aliam
es viam. Iusto ordine cœpi
Iuris prudentiæ, neglectis vanis
studiis, illis tantum sedulo incut-
ipsis rerum obtinent argumentis
liciter ea absoluiisti, vt dignus fu-
tus, ab illustri collegio nostro
in iure honores ex merito confe-

